Crito (Latin, Ficino)

ΚΡΙΤΩΝ

Plato
tr. Marsilio Ficino

Plato Scroll · plato-scroll.netlify.app

Socrates: Cur hac hora venisti, o Crito? nonne multum mane etiam est?

Crito: Multum certe.

Socrates: Quam multum tandem?

Crito: Primum diluculum.

Socrates: Miror quomodo custos carceris tibi obtemperare voluerit.

Crito: Familiaris iam mihi est, o Socrates, propterea quod crebro huc ventitem. Praeterea beneficii a me nonnihil accipit.

Socrates: Venistine modo an dudum?

Crito: Satis dudum.

Socrates: Proinde cur statim non me excitasti, sed cum silentio assedisti?

Crito: Nunquam per Iovem, o Socrates, excitassem. Neque enim ipse tandiu in vigilia et dolore manere vellem. Sed te iamdudum admiror, cum aspicio quam suaviter dormias. Et consulto non excitavi, ut quam placidissime degeres. Equidem tum saepe tum vero per omnem vitam anteactam ob tuos mores beatum te iudicavi, maxime vero in praesenti calamitate, quod eam tam facile plane feras.

Socrates: Atqui perabsurdum esset, o Crito, si quis tam grandi natu imminente morte moleste ferat.

Crito: Verumtamen, o Socrates, et alii aeque senes similibus calamitatibus opprimuntur, quos tamen ab aetate non ita iuvat quin praesentem fortunam graviter et moleste ferant.

Socrates: Ita est. Sed quorsum adeo mane venisti?

Crito: Nuntium, o Socrates, acerbum affero, non tibi quidem, ut mihi apparet, sed mihi potius et familiaribus tuis omnibus et acerbum et gravem; quod equidem, si quicquam aliud,

graviter, ut arbitror, molesteque ferrem.

Socrates: Quodnam hoc? An navis ex Delo iam rediit, qua reducta mihi est moriendum?

Crito: Nondum rediit quidem, sed mihi hodie reditura videtur ex his quae nuntiant nonnulli e Sunio venientes, qui eam ibi reliquerunt. Constat ergo ex his nuntiis hodie esse venturam, ideoque necessarium fore te cras, o Socrates, e vita decedere.

Socrates: Bona, o Crito, fortuna. Si ita diis placet, ita esto. Non tamen aestimo illam hodie redituram.

Crito: Undenam id coniectas?

Socrates: Dicam equidem. Postridie enim, aut eo ipso die quo navis redierit, mihi est moriendum.

Crito: Sic utique aiunt hi quos rei huius potestas est.

Socrates: Itaque non hac die venturam puto, sed altera. Coniecturam vero ex somnio quodam capio, quod paulo ante hac ipsa nocte mihi visum est; tuque videris somnum mihi non perturbasse.

Crito: Sed quale id somnium erat?

Socrates: Videbatur mihi mulier quaedam veniens, pulchra et aspectu grata, vestes habens candidas, vocare me atque dicere: O Socrates, tertia hinc die Phthiam pervenies latiglebam.

Crito: Quam absurdum id insomnium, o Socrates!

Socrates: Manifestum tamen, ut mihi videtur, o Crito.

Crito: Manifestum certe. Sed, o beate Socrates, nunc iam etiam mihi credito, teque servato. Mihi enim, si tu obieris, non una tantum calamitas imminet, sed praeter id quod te orbatus tali necessario, qualem alterum nunquam reperiam, videbor utique multis qui neutrum nostrum satis noverint potuisse te servare, si pecunias impendere voluissem, id neglexisse. Atqui

quaenam existimatio turpior possit accidere quam videri pluris fecisse pecunias quam amicos? Non enim poterit persuaderi compluribus te hinc abire noluisse, nobis quo id ageres omni studio contendentibus.

Socrates: Quid vero tibi a nobis, o beate Crito, tanti vulgi opinio aestimatur? Probatissimi enim viri, quorum magis habenda ratio est, haec ita gesta esse ut gesta sunt arbitrabuntur.

Crito: Attamen vides, o Socrates, necesse esse opinionem quoque vulgi curare. Praesentia enim haec declarant posse vulgus non minima mala inferre, fere maxima, si quis in populo calumniis prematur.

Socrates: Utinam, o Crito, posset vulgus maxima inferre mala, ut vicissim maxima posset bona; et bene quidem se haberet. Neutrum vero potest, quippe cum neque prudentem neque imprudentem efficere valeat. Faciunt vero quaecunque fors obtulerit.

Crito: Haec quidem ita se habeant. At vero, Socrates, mihi responde: num forte mei ceterorumque necessariorum tuorum respectus te retinet, ne, si hinc evaseris, calumniatores nos postea vexent, quasi te hinc furati fuerimus, cogamurque vel universas facultates vel pecunias plurimas amittere, vel praeter haec aliud quippiam pati? Si quid tale times, sollicitudinem istam valere iube. Iustum namque nos tuae salutis gratia non hoc solum, verum etiam, si oportuerit, maius aliud subire periculum. Verum mihi obtempera, neque aliter facias.

Socrates: Et haec equidem et alia multa, o Crito, considero.

Crito: Ne igitur haec verere. Neque enim multum est argentum quod postulant hi qui servare te atque hinc educere pollicentur. Vides praeterea quam tenues sint calumniatores tui, ut non magna ad eos placandos largitio sit opus. Tibi vero

pecuniae adsunt meae, ad hoc, ut opinor, sufficientes. Proinde si quo mei respectu adductus non putas meas pecunias erogandas, adsunt hospites hi parati persolvere. Quorum unus etiam huc attulit sufficientem pecuniam ad hoc ipsum paratam, Simmias Thebanus. Ad hoc ipsum promptus est et Cebes, aliique permulti. Quamobrem, ut modo dicebam, ne tale metuas, quo minus serves teipsum. Sed neque quod in iudicio dixisti te remoretur, si hac urbe exires, quod teipsum verteres te minime habiturum. Aliis enim multis locis quocunque profectus fueris te homines colent; ac si in Thessaliam te conferre malis, reperies illic hospites meos, qui te plurimi facient tutumque praesidio suo adeo reddent, ut nemo in Thessalia tibi sit molestiam exhibiturus. Accedit ad haec, o Socrates, quod rem minime iustam aggredi videris, cum salvus esse possis, teipsum prodas, taliaque tibi evenire studeas qualia inimici ipsi tui studerent, studueruntque te perdere cupientes. Praeterea filios quoque tuos prodere mihi videris: quos cum liceat tibi educare atque erudire, deseres omnino, et quantum in te est, eorum mores fortunae committes. Accident vero eis verisimiliter qualia evenire orphanis consueverunt. Profecto oportebat non genuisse filios, aut in educandis erudiendisque laborem non recusare. Tu vero mihi videris quae elegisset vir segnis ac piger nunc eligere, cum te per omnem vitam virtutis studium profitentem deceat aliud. Veritus equidem sum ne tota haec res tua ignavia quadam nostra sic tractata videatur, cum liceret non ingredi, deinde concertatio ipsa iudicii ad hunc modum acta, et extremus hic finis, tanquam ridiculum quiddam per vitiositatem segnitiemque nostram effugisse nos videbitur; quod nec nos te servaverimus, neque tu teipsum, cum id fieri absque magna difficultate potuerit, si vel paululum in nobis usus industriaeque fuisset. Haec igitur, o Socrates, vide ne, praeterquam quod mala sunt, etiam dedecori tibi nobisque sint; sed tibi consule. Imo vero non iam amplius consulendi

tempus, sed consultum iam esse oportuit. Unicum vero consilium est, videlicet hac nocte proxima cuncta haec acta esse oportere. Sin autem diutius tardaverimus, nihil omnino fieri ulterius poterit. Quamobrem omnino mihi habe fidem, o Socrates, nec ullo modo aliter facias.

Socrates: O amice Crito, studium hoc tuum permulti faciendum esset, si qua ratione recta coniunctum esset; sin minus, quanto vehementius est, tanto molestius. Considerandum est igitur agendane haec nobis sint an non. Nam ego is sum, non modo nunc sed et semper, qui meorum nulli paream praeterquam rationi quae ratiocinanti mihi optima videatur. Rationes itaque illas quibus superioribus temporibus usus sum, nec nunc quidem, postquam in hanc fortunam incidi, reiicere possum, sed similes mihi ferme apparent, easdemque in praesentia quas et prius veneror atque honoro: adeo ut, nisi nunc meliores afferre possimus, plane scire debeas me tibi non concessurum; non si etiam plura quam nunc multitudinis potentia comminata nos, tanquam pueros, larvali horribilique facie perterrere conetur, vincula et mortem et praeterea privationem pecuniarum intentans.

Crito: Quanam igitur ratione commoda ista considerare possimus?

Socrates: Hac itaque, si id quod tu de opinionibus paulo ante dicebas resumamus: utrum semper recte se habeat necne, oportere scilicet quarundam opinionum rationem habere, quarundam vero minime. An forte, prius quam me mori oporteret, recte id dicebatur, nunc vero constat frustra disputationis gratia ita dictum fuisse, cum revera iocus quidam ac nugae esset? Cupio equidem, o Crito, una tecum considerare num sermo ille prior aliter appareat mihi nunc in hac fortuna constituto, an prorsus idem qui et prius; atque utrum dimittendus sit a nobis vel ei obtemperandum.

Dicebatur autem, ut opinor, semper sic ab iis qui se aliquid dicere existimabant, ut nunc quidem ego dicebam: nempe, hominum opiniones partim plurimi faciendas ac sequendas, partim vero minime. Hoc, per Deos, o Crito, nonne tibi recte dici videtur? Tu enim, ut fert hominum conditio, tantum abes a periculo ut crastino die moriaris, nec in errorem inducit praesens calamitas. Considera igitur an non sufficienter tibi dici videtur non oportere omnes opiniones hominum sequi, sed alias quidem sequi, alias vero negligere; neque omnium quidem, sed quorundam, aliorum vero minime. Quid ergo dicis? haec non recte dicuntur?

Crito: Recte.

Socrates: Annon bonas honorare decet, malas vero contemnere?

Crito: Ita decet.

Socrates: Bonae autem nonne prudentum? Malae contra imprudentum?

Crito: Quidni?

Socrates: Age vero, quonam modo rursus talia dicebantur? Qui in gymnasiis se exercet, eane in re operam collocat utrum cuiuslibet hominis laudi et vituperationi et opinioni attendit, an illius tantum qui medicus sit aut gymnasii magister?

Crito: Huius solius.

Socrates: Annon timere decet vituperationes, et optare laudes illius unius, qua multorum?

Crito: Proculdubio.

Socrates: Hac itaque ratione ille se exercere debet, atque etiam edere et bibere quae unico videatur qui praesideat intelligatque, potius quam quae videtur vulgo.

Crito: Vera haec sunt.

Socrates: Quid vero si illi uni non pareat, opinionemque eius et commendationes nihili pendat, honoret vero vulgi ignorantiumque commendationes, num a malo tutus erit?

Crito: Minime.

Socrates: Quale autem est hoc malum, et quonam tendit, et in quam non obedientis partem?

Crito: In corpus videlicet; hoc enim corrumpit.

Socrates: Recte dicis. Nonne et de aliis, o Crito, si omnia percurramus, idem ratio est? De iustis iniustisque, de turpibus et honestis, bonisque et malis, de quibus in praesentia nobis consultatio est, utrum multorum opinionem sequi vererique debeamus, an unius potius qui intelligat, quem decet et vereri et timere magis quam cunctos alios. Cui nisi obtemperaverimus, laedemur et corrumpemur in eo quod iusto quidem melius fieri, iniusto autem corrumpi solet. An nihil id est?

Crito: Id quidem, o Socrates, arbitror.

Socrates: Age vero: si id quod a salubri quidem fit melius, ab insalubri vero corrumpitur, corruperimus peritorum non secuti iudicia, an nobis eo destructo vivendum erit? Est autem id corpus, nonne?

Crito: Ita.

Socrates: Num igitur cum corrupto et prave affecto corpore vivere nobis licet?

Crito: Nullo modo.

Socrates: An vero cum illo vivere licet quod iniustitia laeditur, iustitia vero iuvatur? An vero vilius illud quam corpus existimamus?

Crito: Nullo modo.

Socrates: Sed pretiosius?

Crito: Valde.

Socrates: Non igitur, o optime, adeo nobis curandum est quid de nobis multi loquantur, sed quid dicat is unus qui intelligit, atque ipsa veritas. Quare primo quidem non recte adduxisti opinionem vulgarem de rebus iustis et honestis et bonis harumque contrariis alicuius existimandam. At vero dicet aliquis: potestne vulgus nos interficere? Hoc utique manifestum est.

Crito: Nimirum id potest, o Socrates.

Socrates: Vera loqueris. Sed, o admirabilis, ratio quam percurrimus superiori similis esse videtur; atque hanc rursus considera utrum nobis maneat necne: videlicet non multi faciendum esse vivere, sed bene vivere.

Crito: Manet quidem.

Socrates: Sed hoc quoque manetne, bene et honeste et iuste vivere idem esse?

Crito: Manet.

Socrates: Igitur ex his quae concessa sunt hoc considerandum, utrum iustum sit conari me hinc exire Atheniensibus non dimittentibus, vel iniustum: ac si appareat iustum esse, tentemus; si minus, omittamus. Quas vero affers considerationes de pecuniarum sumptu, de opinione, de filiis educandis, cavendum est, o Crito, ne hae rationes revera horum multorum sint, qui facile interficiant, et si possint ad vitam reducant, et id quidem absque ulla ratione. Nobis vero, quandoquidem sic exigit ratio, nihil aliud attendendum est quam quod modo dicebamus: utrum iusta agamus pecunias largiendo gratiamque habendo his qui me hinc educant; utrum, inquam, in hoc agamus iusta, nos quidem educti, illi vero educentes; an potius re vera in his omnibus agendis agamus iniuste. Atque si appareat nos iniqua agere, non cogitandum quidem id est, sed mansuete subire decet et

mortem et quodvis aliud supplicium, prius quam quicquam agamus inique.

Crito: Recte loqui videris, Socrates; tu vero vide quid agamus.

Socrates: Consideremus, o bone vir, una; et qua in parte me dicente redarguere poteris, redargue, egoque assentiar; sin minus, define quaeso, o vir beate, iam eadem verba repetere, oportere scilicet me hinc Atheniensibus invitis abire. Equidem multi facio persuasum te agere, non autem invitum. Attende itaque utrum rationis initium tibi satis commode dictum sit, conareque quod rogatus sis ita respondere ut maxime censeas respondendum.

Crito: Conabor equidem.

Socrates: Dicimusne nullo modo esse iniuriam faciendam, an forte quodam pacto iniuria facienda est, quodam vero nequaquam? An nullo modo vel bonum vel honestum iniuriam facere, quemadmodum superiori tempore saepe confessi sumus? quod quidem et nuper est confessum. An forte omnes illae superiores confessiones his diebus prorsus evanuerunt, ac iamdiu nos tam grandes natu homines, o Crito, tamque studiose inter nos differentes non animadvertimus nihil a pueris nos differre? An potius sic prorsus se res habet, ut iamdiu dicebamus, sive affirmet id multitudo sive neget, et sive graviora praesentibus sive leviora subire cogamur, attamen iniuriam facere omnino malum turpeque esse illi ipsi qui facit, an non?

Crito: Fatemur certe.

Socrates: Nullo igitur modo iniuria facienda est.

Crito: Nullo quidem.

Socrates: Neque, si iniuriam passus fuerit, vlciscendum, ut vulgus putat; quandoquidem nullo modo iniuria facienda est.

Crito: Ita.

Socrates: Quid vero? mala alicui facere decet, o Crito, an non?

Crito: Non decet certe, o Socrates.

Socrates: Quid autem? qui mala patitur si vicissim referret illi qui intulit, iustumne id esset, ut vulgus ait, an iniustum?

Crito: Iniustum.

Socrates: Nempe mala inferre hominibus non discrepat ab iniuria.

Crito: Vere loqueris.

Socrates: Neque igitur vlcisci decet, neque malefacere cuiquam hominum, quodcunque ab aliis ipse passus fueris. Et vide, o Crito, ne haec concedens praeter sententiam tuam nobis assentiare; paucis enim, scio, sic vel apparet vel apparebit. At vero quibus apparet et quibus aliter, his non est communis deliberatio; necesse est eos, cum ultro citroque consilia sua respiciunt, invicem se despicere. Animadverte igitur et tu diligenter utrum tibi mihique communis sit haec opinio, mecumque sentias; atque utrum ab hoc principio exorsi deliberemus, nunquam rectum esse vel iniuriam facere vel vlcisci iniuriam, vel mala affectum malum referre in eum qui intulit. An hic discedis a nobis, in hoc principio non consentiens? Mihi quidem et iamdiu et nunc ita videtur. Quod si tibi apparet aliter, dic et doce. Sin autem in superioribus permanes, iam quid sequatur audi.

Crito: Consentio equidem et permaneo: dic igitur.

Socrates: Dico igitur deinceps, imo potius interrogo: utrum quae quis confitetur alicui iusta esse facere debeat, an fallere?

Crito: Facere debet.

Socrates: Ex his iam ita considera. Si nos hinc abeamus praeter civitatis consensum, utrum male aliquibus faciemus, et his quibus minime decet, vel non? et utrum in his

permanemus quae iusta esse confessi sumus, vel contra?

Crito: Nequeo equidem, o Socrates, ad haec respondere; neque enim intelligo.

Socrates: Verum ita considera. Perinde ac si, volentibus nobis sive aufugere sive quomodocunque hoc vocandum sit, leges et publica civitatis iura adventantia rogent: Dic nobis, o Socrates, quidnam cogitas facere? An non hoc opere quod aggrederis civitati, quantum in te est, interitum machinari, et leges, et totam, quantum in te est, civitatem evertere? An tibi videtur posse adhuc illam civitatem esse, neque everti, in qua iudicia publica nullam vim habeant, sed a privatis hominibus infirmentur ac tollantur? Quid ad haec, o Crito, aliaque huiusmodi dicemus? Permulta enim in hac parte dicere posset quivis, praesertim orator, pro lege illa quae iubet iudicia lata rata esse, ne tollantur. An vero dicemus illis, iniuria nos affecit civitas, nec recte iudicavit? Haecne dicemus, an quid?

Crito: Haec, per Iovem, o Socrates.

Socrates: Quid ergo, si leges dicant: O Socrates, an hoc inter nos et te convenit, an id in quo civitas iudicaverit te servaturum? Quod si verba haec illas mirari faciat, fortasse dicerent: O Socrates, ne mirare quae dicimus, sed responde, quandoquidem uti soles interrogando et respondendo. Age, quidnam nobis et civitati obiiciens nos accusas et dissolvere conaris? Nonne te primum genuimus, et per nos pater tuus matrem accepit tuam et produxit te? Dic ergo, num eas ex nobis leges quae sunt circa coniugia improbas, atque aliqua in parte quasi minus rectis succenseas?

Crito: Nihil succenseo.

Socrates: Sed an his legibus quae educationi eruditionique puerorum provident, in qua ipse quoque eruditus es? An non recte disposuerunt hae leges, ad hoc officium conditae, cum iuberent patrem tuum in musica te et gymnastica erudire?

Crito: Recte.

Socrates: Age ergo, postquam per nos genitus es educatusque ac eruditus, primo quidem num potes negare te nostrum esse et natum et servum, ipsumque te et progenitores tuos? Deinde, cum id ita se habeat, an putas ius ex aequo tibi atque nobis esse, et quae nos tibi facere aggrediamur, eadem vicissim in nos abs te referri iustum esse iudicas? An, cum nec ad patrem nec ad dominum, si eum habeas, tibi ius ex aequo sit ut quae ab illis patiare in eos referre possis, neque, si iurgio hi te lacessant, contra iurgare, neque si te verberent vicissim verberare, neque alia eiusmodi in eos tentare liceat, contra patriam vero ac leges tibi licebit? Adeo ut, si nos iudicantes id iustum interficere te velimus, tu vicissim nos leges et patriam pro viribus coneris perdere, dicasque te haec agendo iusta facere, qui virtutis curam re vera habere profiteris? An adeo te sapiens esse putas, ut te latuerit et patre et matre et progenitoribus omnibus patriam esse anteponendam, atque esse venerabiliorem sanctioremque, et superiore loco, tum apud deos, tum apud homines mentis compotes, esse patriam collocandam; eamque oportere magis colere, eique obedire, tum autem irascenti eius obsequentiorem esse quam patri; vel persuadere illi, vel facere quod iubeat, et patientissime pati quicquid iusserit patiendum? ac sive mandaverit verberari te, sive in vincula conici, sive in proelium miserit ad vulnera excipienda mortemque subeundam, obediendum est omnino. Ius enim ita dictat; et neque tergiversandum, neque cedendum, neque ordinem deserendum, sed et in bello et in iudicio et prorsus ubique ea sunt facienda quae respublica patriaque iusserit; aut certe illi persuadere ac monstrare quale id quod imperat iustum sit: vi autem uti nefas est, vel contra matrem vel contra patrem, maxime vero omnium contra patriam. Quid ad haec dicemus, Crito, verane loqui leges, an non?

Crito: Mihi quidem videtur.

Socrates: Proinde leges fortasse dicent: Animadverte, o Socrates, utrum vere dicamus te iniuriam contra nos aggredi. Nos enim, quae te genuimus, educavimus, instituimus, participes bonorum omnium quoad eius facere potuimus et te et alios cives omnes effecimus; tamen praedicimus permittimusque cuilibet Atheniensium, cognitis iam ac probatis civitatis moribus legibusque et reipublicae gubernandae forma, si cui non placeamus, acceptis suis quocunque placuerit abire. Nec ulla ex nobis legibus impedit aut prohibet, sive quis, nostrum cui nos civitasque minime placeamus, in coloniam aliquam ire discedere, sive habitationem alio transferre, quo minus id arbitrio faciat secumque sua perferat. At vero quicunque vestrum, postquam cognoverit quemadmodum nos iudicia exercemus et in ceteris omnibus regimus civitatem, permanserit, hunc iam asseveramus re ipsa convenisse nobiscum quaecunque iusserimus se facturum. Atque eum qui non paruerit tripliciter iniuriam facere affirmamus: et quod genitricibus nobis non obtemperat, et quod nutricibus non obsequitur, et quod, pactus nobis obedire, neque obedit, neque persuadere nobis studet si quid minus recte facere videamur. Cumque praecepta nostra non severe proponamus, neque mandemus rigide, sed permittamus alterum e duobus, aut verbis persuadere nobis, aut mandata explere, horum neutrum facit. His ergo criminibus te, o Socrates, obnoxium iudicamus fore, si quae cogitas feceris; neque id quidem minus quam ceteros Atheniensium, sed maxime omnium. Ac si causam requiram ob quam prae ceteris sim obnoxius, fortasse iuste me remorderent, dicentes me maxime omnium Atheniensium civitatis legibus consensisse. Sic enim dicerent: Magna nobis, o Socrates, horum sunt argumenta, quod nostram Atheniensium civitatem eam habitasses, nisi tibi mirifice placuisset, neque exisses in Isthmum, nec alio usquam nisi in

militiam, quemadmodum ceteri solent, neque alterius civitatis te cepit cupido, cuius leges nosse cuperes; sed nos usqueadeo vehementer probasti, civitasque satisfecimus tibi, legesque nostras praetulisti, et filios in ea procreasti, utpote quae tibi placuerit. Quinetiam licebat tibi in ipso iudicio exilio multari, si voluisses, atque quod nunc invita civitate aggrederis, tunc ea volente facere. Tu vero verbis tunc te iactabas, quasi non graviter ferres si mori te oporteret; quin imo mortem ipsam, ut dicebas, potius quam exilium elegisti. Nunc vero nec verba illa tua erubescis, neque nos leges vereris, sed nobis interitum machinaris. Facis autem quod deterrimus servus faceret, fugam arripere tentans, contra pactiones conventionesque in quibus convenisti nobiscum nostris te institutionibus gubernandum. Primum igitur hoc ipsum responde nobis, num vere dicamus affirmando te, non verbo sed re ipsa, consensisse ut moribus nostris gubernereris. An non vera haec sunt? Quid ad haec dicemus, Crito? an non confitemur?

Crito: Necesse est, o Socrates.

Socrates: Quid igitur, dicent, aliud quam conventa nobiscum et pacta transgrederis? quae neque coactus es nobiscum inire, neque deceptus, neque ad breve tempus deliberare es compulsus, sed per annos septuaginta; quo in tempore tibi licuit abire, nisi placuissemus, neque tibi conventiones iustae visae fuissent. Tu vero nec Lacedaemonem neque Cretam nobis anteposuisti, quas saepe assidue recte gubernari praedicas, neque aliam ullam vel Graecarum civitatum vel Barbararum: imo ex hac rarius peregrinatus es quam claudi et caeci mancique alii. Usqueadeo prae ceteris Atheniensibus civitas placuit, atque nos, videlicet leges. Cui enim placere potest civitas, cui non placeant leges? Nunc vero non permanes in his, in quibus iamdiu nobis tibique convenit. Quod si nobis credideris, non committes ut te ex urbe

egredientem omnes derideant. Considera rursus, si haec transgressus fueris et in quid eorum peccaveris, ad quid tandem id vel tibi vel necessariis tuis conducet. Propemodum enim certum est in periculum venturos necessarios tuos fore, ne ipsi quoque in exilium expellantur, eventuque civitate et patrimonio suo spolientur. Tu autem primum, si in civitatem finitimam te contuleris, vel Thebas vel Megaras (utraeque enim recte gubernantur), hostis primum reipublicae illarum accedes; et omnes quibus curae est patria aspicient limis te oculis, corruptorem legum existimantes; suamque iudicibus opinionem confirmabis, ut recte contra te tulisse sententiam videantur. Quisquis enim corruptor legum est, is potissimum et iuvenum et imperitorum hominum videbitur esse corruptor. Quid ergo? civitatesne quae recte gubernantur, et modestissimos quosque homines, devitabis? Atqui si id feceris, vitane dignus eris? an forte accedens ad eos impudenter te his admiscebis, nec erubesces de eisdem apud eos disserere de quibus apud nos consuevisti, virtutem videlicet et iustitiam legesque et instituta legum plurimi esse facienda? Neque putas indecorum minimeque honestum fore Socratis factum apparere? Proculdubio putandum est. Forte ex his civitatibus declinans in Thessaliam ad Critonis hospites abibis. Illic enim inordinate admodum et intemperanter vivitur; ac forsan libenter illi te audient narrantem quemadmodum e carcere ridicule fugeris, ut fascem quendam tibi superponens, aut sagum coriaceum induens, vel aliis quibusdam te involvens, quemadmodum solent qui se in fugam coniiciunt, tuumque habitum ac figuram immutans. An vero nemo erit qui dicat hominem te, quemadmodum vir senex parvo admodum tempore (ut verisimile est) victurus, ausum esse ob vivendi cupiditatem in tam sordida inopia vivere, maximas transgressum leges? Sane quidem, fortasse, si modo neminem offenderis. Alioquin multa, o Socrates, atque indigna te audies. Vives autem obnoxius cunctis

hominibus, atque deserviens. Quid vero facies in Thessalia? Conviviane frequentabis, utpote qui in Thessaliam quasi ad coenam aliquam adveneris? Disputationes vero illae de iustitia ceterisque virtutibus ubinam nobis erunt? Enimvero filiorum gratia vivere cupis, ut nutrias eos atque erudias. An ergo in Thessaliam perduces, ut illic nutrias eos atque erudias, hospites eos faciens, ut hoc insuper commodi abs te reportent? An id quidem non facies, hic vero relicti melius, te vivo, alentur et erudientur a necessariis tuis te absente? Utrum, si in Thessaliam abibis, tui id curabunt, sin autem in alteram ibis vitam, non curabunt? Profecto, si quid opis est in his qui aiunt se tuos necessarios esse, credendum est curaturos. Ceterum, o Socrates, fidem nobis habens nutricibus tuis, neque filios tuos, neque vitam, neque quicquam aliud pluris facias quam iustitiam, ut, cum in alteram transmigraveris, valeas illic praesidibus horum te defendere. Neque enim hic id faciendo melius neque iustius neque sanctius id vel tibi vel ullis tuorum erit; neque illuc profecto, si abieris, melius te habebis. Sed nunc quidem iniuria affectus abis, si abieris, non a nobis quidem legibus, sed ab hominibus. Sin autem egressus fueris, ita turpiter vicissim iniuriam referens malaque pro malis, conventiones nobiscum initas pactaque transgrediens, et maleficio afficiens quos minime oportebat, te ipsum scilicet et amicos et patriam nosque leges, nos utique et viventi tibi infensae hic erimus, et illic sunt nostrae sorores, quae haudquaquam te benigne recipient, scientes te nos pro viribus disperdere conatum fuisse. Quamobrem ne Crito aliter tibi quam nos persuadeat caveto. Haec equidem, o dulcis amice Crito, audire videor, quemadmodum Corybantes tibias audire putant. Atque in me sermonum eiusmodi sonitus adeo reboat, ut alia audire non possim. Vides quae in praesentia mihi videntur: quibus si quid contradicere aggrediaris, frustra conabere. Verumtamen, si quid te profecturum confidis, dicas.

Crito: Ego vero quod dicam, o Socrates, nihil habeo.

Socrates: Define ergo, Crito, et pergamus hac, quandoquidem hac nos Deus ipse ducit.